

Præterea cur inter malos alii sint aliis deterioribus, certe non potest causa referri in electionem divinam, cum illa non faciat, sed sinat esse malos. Unde igitur tanta diversitas inter homines malos, ut alii multa vitia detestentur, quibus alii mirifice delectantur, et alii modice, alii mediocriter, alii extreme sint mali, nisi propter arbitrii libertatem?

Denique cur inter bonos alii proficiant in dies magis, et perseverent usque in finem, alii deficient, et misere cadant, ac pereant, non potest reddi ratio, nisi sit in homine liberum arbitrium. Siquidem electio Dei nulli est causa cadendi, neque Deus ullum deserit, nisi prius ab illo deseratur, ut S. Augustinus docet, in lib. de natura et gratia cap. 26. tract. 2. in Joan. et alibi. Immo Scriptura ipsa hoc docet, in II. lib. Paralipomenon cap. xv. *Dominus, vobiscum est, quia vos fuistis cum illo* (1). Vel clarius secundum interpretationem septuaginta virorum: *Quandiu vos estis cum illo. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos*. Et in Ps. xxxvi. *Declina a malo, et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi, quia Dominus amat iudicium, et non derelinquet sanctos suos* (2). Illi igitur qui fiunt ex bonis mali, poterant non fieri, quia non desererentur a Deo, nisi prius ipsi desererent Deum, ac per hoc libere fiunt mali. Quare nisi esset libertas arbitrii, ut argumentum Catholicorum recte probat, non esset ista, quam cernimus inter homines, bonorum, malorumque diversitas.

CAPUT XVII.

Proponitur et defenditur argumentum quartum, pro libero arbitrio in moralibus.

Argumentum quartum, idemque postremum, quod adfert Calvinus pro Catholicis ejusmodi est; « Si tollatur liberum arbitrium ab humano genere in actionibus morum, simul etiam tolli necesse erit cohortationes, objurgationes, laudes, vituperationes, præcepta, consilia, monita et alia id genus. Quorum enim laudes, aut vituperes, admoneas, præcipias, reprehendas, hortaris, si non possunt homines aliud facere, quam faciunt? »

Respondet Calvinus duobus modis. Primum admonet, ut contenti simus exemplis Christi et Sanctorum. Christus enim dixit: *Sine me nihil potestis facere*, Joan. xv. et ta-

(1) II Par. XV, 2. — (2) Psal. XXXVI, 27. — (3) Joan. XV, 5; Rom. IX, 15; I Corin. III, 7.

men hortabatur et corripiebat omnes. Apostolus quoque testatus est, Rom. ix. *Non esse currentis, neque volentis, sed miserentis Dei*. Et I ad Corinth. III. *Neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat* (3), et tamen hortari et corripere omnes non cessabat. Ipsi etiam Prophetæ hortabantur et corripiebant homines assidue, et tamen clamabant, proprium esse Dei circumcidere corda, et pro lapideis dare carnea. Denique S. Augustinus propter hanc ipsam objectionem scripsit integrum librum, quem nominari voluit de correptione et gratia. In quo libro cap. 3. sic ait: « O homo in præceptione cogosce, quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere ». Et cap. 6. « Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur, filius est promissionis ».

Deinde respondet, correptiones et exhortationes utiles esse, etiam si non adsit liberum arbitrium, nam reprobis adhiberi ad flagellum conscientiae in hac vita, et ad testimonium in alia, ut inexcusabiles ad Domini tribunal efficiantur: electis autem ut per verbum exterius excitentur, sicut per spiritum intus illuminantur, et ad gratiam recipiendam per externam verbi correptionem præparentur. Sed utraque Calvinus responsio parvo negotio refutari potest.

Quod enim ad priorem attinet, nos ex Christi et Sanctorum exemplis liberum arbitrium efficaciter probari existimamus. Quoniam enim nemo, nisi prorsus iudicio careat, hortatur, aut corripit infantes, vel insanos, sed solum adultos et mentis compostes, colligimus eos dumtaxat hortationis et correptionis capaces esse, qui liberi arbitrii usum habent: non enim aliud interest, inter homines insanos et sanos, nisi quod illi more pecudum, naturali quodam instinctu feruntur, nec possunt aliter facere: isti libero iudicio eligunt quid agant, et possunt, si ita libitum fuerit, non eligere. Itaque simile esset hortari hominem non liberum, ad eligendum bonum, et corripere, si non eligat; ac si quis hominem in carcere conclusum, hortaretur ad currendum per campos, et reprehenderet si non pareret.

Refellit hanc similitudinem Calvinus; aliud enim esse dicit, hominem tyrannice ligatum ab alio, non posse per campos discurrere:

aliud, hominem proprio vitio effectum malum, jam non posse eligere bonum. At finge aliquem, qui sua culpa in puteum lapsus fuerit; utrum is recte admoneretur, ut exiret et objurgaretur nisi pareret? Objurgaretur quidem recte, quod in puteum se dejecisset, cum in potestate haberet, non se dejicere; at non recte objurgaretur, quod non inde emergeret, si id jam in ejus potestate non esset.

Ad objectiones illas ex Scriptura: *Sine me nihil potestis facere*. Et: *Non est volentis, neque currentis*. Et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*. Respondeo, recte probari his testimoniis, liberum arbitrium egere gratia Dei. Cæterum eam gratiam, quæ necessaria est ad faciendum quod Deus præcipit, vel ad quod hortatur, nemini deesse; et ideo (ut S. Leo scribit serm. 16. de passione Domini) recte Dominum instare præcepto, quia præcurrit auxilio.

Ad objectionem ex Augustino, in lib. de correptione et gratia, Respondeo, Augustinum in toto eo libro pro certo assumere, eis, qui corripiuntur, non deesse auxilium gratiæ, quo possint, si velint, ex correptione proficere. Nam cum dicit, cap. 3. « O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione agnosce, te tuo vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere ». Certe non dubitat, ei qui corripitur, et jubetur orare, auxilium non deesse, quo possit orare. Et cum cap. 5. dicit: « Quicumque corripitur non vis, ideo corripendus est, quia corripitur non vis; non vis enim tibi tua vitia demonstrari »; pro comperto ponit, eum hominem, qui reprehenditur, quia non vult corripitur, potuisse velle correptionem admittere. Et cap. 6. cum dicit: « Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur »; sine dubio ut certum sumit, eum qui corripitur, posse dolere et erubescere, et ex eo dolore concipere desiderium vitæ melioris. Alioqui stultissimus esset, qui ea de causa corripere peccatorem, ut in eo ex dolore correptionis oriretur voluntas regenerationis, nisi crederet eum posse dolere, si velit; alias enim adhiberet causam, quam sciret nihil efficere posse. Illa vero correctio « si tamen is, qui corripitur, filius est promissionis » non significat eum, qui non est filius promissionis, non posse converti, sed non convertendum re ipsa, licet converti possit. Nam idem Augustinus in eodem libro cap. 7. apertissime scribit, posse perseverare

etiam eos, qui re ipsa non sunt perseveraturi, et merito argui et puniri, quia non perseverant. « Potest enim, inquit, dici ei, In eo quod audieras et tenueras, perseverares, si velles. »

Ac ut clarissime perspiciatur, librum hunc de correptione et gratia, nihil omnino Calvinus causam adjuvare, observandum est, eodem tempore scripsisse Augustinum librum de correptione et gratia, et librum de gratia et libero arbitrio, et epistolam 46. omnia enim hæc scripta sunt ad Valentinum, occasione quorundam ejus Monachorum, qui gratiam Dei sic defendebant, ut liberum arbitrium denegarent. In epist. igitur illa 46. ad Valentinum utitur Augustinus, hoc ipso nostro argumento, quod Calvinus ex Augustino solvere nititur: « Nisi esset, inquit, liberum voluntatis arbitrium, non diceretur in Psalmo, Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. » Ubi probat Augustinus, ex admonitione et correptione liberum arbitrium. Et similia habet in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 2. Quomodo igitur credibile est, Augustinum in libro de correptione et gratia ad Valentinum scripto, destruere voluisse, quæ scripserat eodem fere tempore, et eadem occasione ad eundem Valentinum? atque hæc de priore responsione Calvinus.

Venio ad posteriorem, in qua Calvinus pro sua summa scientia Dialecticæ principium petit. Nam cum dicit, reprobos ideo corripiendos esse, tametsi necessario peccent, ut correptio sit illis in hac vita flagellum conscientiae, et in altera testimonium, quod eos reddat ad tribunal Domini inexcusabiles, omnino pro certo assumit, id quod necessario fit, posse esse peccatum proprie dictum. At de hoc ipso tota nostra controversia est. Itaque nego correptionem futuram esse flagellum conscientiae illi, qui libertate arbitrii careat, nego etiam futurum illum coram Deo inexcusabilem. Immo hoc ipsum illum, et in conscientia, et coram Deo facillime excusabit, si vere dicere poterit, se non libera voluntate, sed cogente necessitate peccasse.

At inquit Calvinus, « experientia testatur, peccatores etiam perditissimos sentire flagellum conscientiae, quando corripiuntur ». Fateor sed hinc libertas arbitrii apertissime comprobatur. Propterea enim flagellantur et erubescunt, quoniam conscii sunt ipsi sibi, se potuisse peccatum vitare, si studium adhibere voluissent.

Pari ratione altera pars ejusdem responsionis, quæ habet corripere electos, ut præparentur per verbum externum ad renovationem internam, confirmat liberum arbitrium. Nam si corripitur, qui peccavit, ut præparet se ad renovationem, ergo qui corripitur, non vult præparari, et tamen potest velle præparari ad renovationem; si enim vult præparari, quorsum corripitur? Si non potest velle præparari, nonne etiam frustra corripitur?

Sed non solum hac posteriore responsione Calvinus argumentum Catholicorum non solvit, sed incidit in plures laqueos, unde non facile se expediat. Scripsit enim per hortationem præparari electos ad recipiendam gratiam, qua ipsi hortationi pareant. Nam hæc sunt verba ipsius lib. II. Institut. cap. 5. §. 5. « Ad recipiendam hanc ipsam gratiam, qua fit ut hortationi parcat, per hortationem vult nos præparari ». Et infra: « Bifariam Deus in electis suis operatur, intus per Spiritum, extra per verbum: Spiritu mentes illuminando, corda in justitiæ amorem, cultumque formando, novam eos creaturam facit: verbo ad eandem renovationem expetendam, quærendam, assequendam excitat ». Hæc ille.

Ex his verbis sequitur primo, posse hominem sine gratia per verbum externum præparari ad gratiam, eamque expetere et quærere. Nam distinguit Calvinus operationem verbi ab operatione spiritus, et priorem esse vult operationem verbi, qua homo præparatur ad gratiam, posteriorem operationem spiritus, qui gratiam ipsam adfert. At hic est error Pelagianus, quem Calvinus refellere se velle dicit. Quomodo igitur non pugnat secum, qui illum ipsum errorem docet, quem refutare studet?

Respondet Calvinus lib. 4. adversus Pighium, ministerium verbi vocari ministerium spiritus, quoniam Deus per spiritum suum insculpit in cordibus hominum id, quod prædicator verbi non ante, nec post, sed simul ad aures loquitur; ita simul omnino fieri externam operationem per verbum, et internam per spiritum.

At responsio ista non solvit nodum, sed magis ligat. Nam Deum insculpere in cordibus verbum exhortationis, vel est persuadere illud efficaciter, et per hoc facere ut homo assentiatur; vel est efficere, ut cogitetur, vel intelligatur, non tamen persua-

(1) Rom. X, 14.

deatur. Si dixerit primum, pugnet liber iste quartus adversus Pighium cum lib. II. Institutionis. Nam in lib. II. Institutionis ut jam citavimus, disertis verbis Calvinus dicit, per verbum hominem præparari ad illam gratiam spiritus desiderandam et quærendam, qua fit, ut verbo pareatur, proinde priorem esse operationem verbi præparantis, quam spiritus intus persuadentis: in lib. autem IV. contra Pighium dicit, utramque esse simul, et sine alia præparatione verbum extra prolatum intus a spiritu insculpi, id est, efficaciter persuaderi. Si dixerit secundum, non excludet errorem Pelagianum. Non enim satis est gratia ad cogitandum, et intelligendum secundum fidem Catholicam, sed requiritur gratia ad desiderandum, et quærendum, et omnino ad præparandum se ad renovationem. Neque Augustinus a Pelagianismo excusaret eum, qui diceret post verbum exhortationis ante corporis auditum et corde perceptum, posse suis viribus expetendo, et quærendo gratiam, ad eam se præparare.

Sequitur secundo, ex illis verbis Calvinus, supra citatis, posse ante renovationem hominis, quæ fit per spiritum ex ipso homine aliquid boni exprimi, desiderium videlicet ipsius renovationis, et præparationem ad eandem. At hoc aperte repugnat iis, quæ idem Calvinus scribit in eodem II. lib. Institut. cap. 3. §. 6. ubi dicit, nihil unquam boni ex corde humano exprimi posse, nisi penitus aliud fiat per renovationem, id est, nisi ex lapideo fiat carneum. Neque enim negari potest, quin sit bona præparatio et cupiditas renovationis, quæ fit per verbum in corde nondum renovato.

Sequitur tertio, præparationem istam esse priorem et posteriorem ipsa renovatione, quæ tamen repugnantia sunt. Nam secundum principia Calvinus, et omnium hujus temporis hæreticorum, renovatio hominis fit per solam fidem. Fides autem secundum scripturas præcedit orationem. « Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? » Rom. X. Et præterea oratio nisi fiat ex fide, nihil valet. Renovatio igitur præcedit orationem, ac per hoc desiderium, et inquisitionem et præparationem, et tamen præparatio desiderium, et inquisitio præcedunt renovationem, quia nemo se præparat ad id, quod jam habet; neque desiderat, quod jam accepit; neque inquit, quod jam

invenit. Præparatio igitur præcedit renovationem, et renovatio præparationem.

CAPUT XVIII.

Prima classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

In secundo ordine argumentorum Catholicorum collocantur a Calvino testimonia Scripturarum, quæ ipse revocat ad quinque classes, ut multa argumenta unica responsione confutet.

Prima igitur classis continet ea testimonia, quæ præcipiunt aliquid homini faciendum, vel non faciendum, Talia sunt: *Non habebis Deos alienos, Non assumes nomen Dei tui in vanum, Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Et alia quæ numerantur, Exod. XX. Cujus generis testimonia colligit Augustinus usque ad triginta duo in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 2. Ex his testimoniis conficitur hoc argumentum. « Præceptum est regula bene vivendi, frustra autem datur regula ei, qui non potest deficere, aut non potest non deficere, solum liberum arbitrium est, quod in via morum potest deficere, et non deficere; igitur frustra homini præceptum a Deo datur, si caret libero arbitrio, nihil autem facit Deus frustra, igitur non caret homo libero arbitrio ».

Respondet ad hoc argumentum Calvinus, sed ita respondet, ut multa dicendo nihil dicat. Ait primum, legem non esse frustra, quamvis detur homini carenti libero arbitrio, quoniam non datur solum ut sit norma vivendi, sed propter alias etiam causas, quarum una est, ut per eam cognoscatur peccatum, ut Apostolus scribit ad Rom. III. Ait secundo, in scripturis non tantum inveniri legem præipientem, sed etiam promissionem gratiæ adimplentis, ut hinc intelligamus legis impletionem non esse ex libero arbitrio, sed ex dono gratiæ. Atque hoc fuisse probat ex divinis litteris, et S. Augustini testimoniis. Ad extremum concludit, legem esse impossibilem, et non inde probari libertatem arbitrii, sed gratiæ necessitatem.

Sed prior illa responsio satis frigida est. Nam etiamsi lex habeat multos fines, tamen habet etiam istum, ut sit norma vivendi, et ratione hujus finis exigit in homine necessario arbitrii libertatem. Deinde, nonne hoc

(1) Rom. VII, 12. — (2) III Reg. XVII, 18.

ipsum, quod est per legem cognosci peccatum, et legem normam esse vivendi, in idem recidunt? ideo enim datur lex, per quam cognoscatur peccatum; ut cognitum vitetur, et hoc modo sit lucerna pedibus nostris, et regula recte videndi.

At (inquit Calvinus) Apostolus dicit, datam esse legem, ut superabundet peccatum, ad Rom. V. Respondeo, non esse Apostoli mentem, legem datam fuisse a Deo, ut per eam peccatum cresceret; nam si ita esset, lex mala fuisset, et tamen idem Apostolus ad Roman. VII. dicit: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (1). Significat igitur eo loco B. Paulus, legem datam quidem fuisse ad peccatum vitandum, sed non potuisse efficere ut peccatum vitaretur, sed contra potius occasionem fuisse per accidens, ut peccatum superabundaret. Quoniam enim ut ille ait: « Nitimur in vitium semper, cupimusque negata ». Homines peccato primi hominis depravati occasione accepta, ex prohibitione legis magis ad peccandum exarserunt. Itaque B. Paulus bis repetit in illo cap. 7. occasione accepta per legem peccatum magis invaluisse.

Illud igitur « ut », non significat causam, sed eventum, cum dicitur, *lex subintravit, ut abundaret peccatum.* Similis locus est in lib. III Regum cap. 17: *Quid mihi et tibi vir Dei? intrasti ad me, ut interficeres filium meum* (2). Sciebat illa sine dubio, non ad hoc venisse Heliam, ut interficeret filium ejus, sed significare voluit, occasione presentis viri tam sancti et justis, non potuisse peccata sua manere diutius impunita, et ideo interfectum a Deo filium suum, quasi ad hoc ipsum propheta venisset. Sic igitur dicit B. Paulus, occasione legis peccata crevisse, quasi ad hoc ipsum data lex fuisset. Et eundem sensum habent illa omnia: « Lex iram operatur, littera occidit, virtus peccati lex ». Et similia.

Posterior Calvinus responsio plane est extranea. Non enim disputamus hoc loco, possit ne lex solis naturæ viribus adimpleri, nec ignoramus, auxilium gratiæ esse modis omnibus necessarium, cum lex sola non faciat justos, sed contra potius per gratiam justificati faciant legem. Sed quæstio nostra est, utrum posito auxilio gratiæ, homo sit vere liberi arbitrii, ita ut possit legem implere, vel eandem, si maluerit, pravariari. Quomodo si quis quærat, an possit homo pro

(1) Rom. VII, 12. — (2) III Reg. XVII, 18.

arbitrio videre, et non videre; non oportet obicere, quid si lumen absit? intelligitur enim quæstio positus omnibus quæ necessario requiruntur.

Nos igitur dicimus, posito auxilio necessario, quodcumque illud sit, hominem vere, proprieque liberum esse in moralibus, atque id probamus, quoniam alioqui lex omnis frustra data esset. Ad hoc autem Calvinus nihil omnino respondit, sed aliam quæstionem, satis callide, pro suo more divertit.

Porro nostrum argumentum efficacissimum esse, vel ex eo cognosci potest, quod eo pene solo utitur S. Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio, ad illud ipsum probandum adversus imperitos quosdam monachos, quod nos adversus Calvinistas probare contendimus. Sic enim ait cap. 2: «Revelavit nobis Deus per Scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemorare non humano, sed divino eloquio. Primum quia ipsa divina præcepta, homini non prodesent nisi haberet liberum voluntatis arbitrium». Et infra: «Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium»? Et infra: «Jam multa mandata quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ»? Et infra: «Nempe ubi dicitur, noli hoc et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium». Hæc ille.

CAPUT XIX.

Secunda classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

Alteram classis continet ea testimonia Scripturarum, quibus promittitur nobis aliquid a Deo sub conditione, si voluerimus. Isaia I. *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; si nolueritis, gladius devorabit vos.* Amos V. *Quærite bonitatem, et non malitiam, et vivetis.* Matth. XIX. *Sivis ad vitam ingredi, serva mandata* (1). Ex his, et aliis similibus locis, quæ in Scriptura passim occurrunt, tale conficitur argumentum: «Aut est in potestate nostra præstare conditionem oblatam, aut non est: si detur primum, demonstratur liberum arbitrium; si secundum, illa non est vere sub conditione permissio, sed manifesta irrisio. Non secus ac si quis bra-

(1) Isai. I, 19; Amo. V, 14; Matth. XIX, 17.

vium proponeret, ac præconis voce clamari juberet, ut qui voluerint, currant, dandum enim bravium ei, qui cæteros currendo superaverit: deinde paucos quosdam vi traheret ad bravium, alios vinculis, et catenis constringeret, ne se commovere possent».

Respondet Calvinus, non esse absurdum, ut Deus aliquid sub impossibili conditione polliceatur. Constat enim ipsi rationem suam cur hoc faciat. Nam impiis quidem proponere ejusmodi promissa, ut eis quam sint indigni divina benignitate testetur; sicut etiam præceptis suis eosdem pungit, ne nimis suaviter in peccatis deliciantur. Piis autem easdem promissiones proponere, ut quia præceptis ignavia nostra non satis acuitur, promissionum dulcedine ad eorum amorem alliciamur.

At non quærimus nos hoc loco, cur Deus promissiones offerat piis, vel impiis: sed contendimus, non posse recte promitti aliquid sub conditione, nisi ei qui libero utatur voluntatis arbitrio. Et re vera si Deus proponeret impiis impossibilem conditionem, ut eis testaretur, quam sint indigni benignitate divina, illa conditionis oblatio ironice exponi deberet, et esset (ut diximus) non tam conditio, quam irrisio. Neque enim fieri potest, ut aliquis sciens, et prudens proprie loqui intendat, cum aliquid faciendum, vel non faciendum sub impossibili conditione proponit.

At loca illa Scripturæ nullus adhuc ironice exposuit, sed omnes proprie. Neque possunt ironice exponi, nisi vis maxima divinis literis adferatur. Certe enim interrogatus Dominus, quæ esset ad salutem via, nullam causam habuit ironice responsionis. Proinde Magister bonus vere, proprieque respondit, cum ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et infra: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia etc.* Deinde, si Deus promissiones sub conditione impassibili offert impiis, ut eis indignitatem eorum testetur; vel possunt impii ex hoc testimonio divino proficere, cogitando videlicet suam indignitatem, et inde timorem, ac dolorem concipiendo, seque coram Deo humiliando; vel non possunt, quia videlicet, aut non intelligunt testimonium divinum, aut contemnant: si possunt, ergo habent liberum arbitrium; si non possunt, igitur inutile est ejusmodi testimonium, ac frustra adhibetur. Et re vera impii non intelligunt indignitatem

suam, nec ullo modo existimant, promissiones divinas ad hoc sibi offerri, ut testimonium habeant indignitatis suæ. Quare sine causa Deus hoc testimonium illis daret.

Denique certum est, saltem piis, non offerri promissiones sub conditione ironice et irrisorie, sed vere ac proprie: poterunt igitur pii pro arbitrio conditionem implere, vel etiam non implere. Id enim est proprium veræ conditionis, ut dependeat ab arbitrio ejus, cui proponitur. Itaque sicut promissio ad amorem præceptorum accendit animos piorum, quod nos Calvino minime negamus, ita conditio demonstrat arbitrii libertatem, quod nobis Calvinus vicissim negare non debet, nec potest, si rationem, et naturam veræ conditionis intelligat.

CAPUT XX.

Tertia classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus

Tertia classis testimonia illa complectitur, quæ docent per hominem stetisse, quo minus bene ageret, et peccata vitaret. Numer. XIV. *Amalec, et Chanaanæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deuter. XXX. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Isaia V. *Quid potui vineæ meæ facere, et non feci?* Hieremia VII. *Hæc gens non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, ideo projecta est a Domino.* Et cap. XXXII. *Quia indurastis cor vestrum et nolulistis obedire Domino, hæc omnia mala evenerunt vobis.* Matth. XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, et nolulistis.* Act. VII. *Incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis* (1). Ex his locis ducitur hoc argumentum. «Vel potest is qui peccat, non peccare, vel non potest: si potest, habet igitur liberum arbitrium: si non potest, igitur Deus frustra queritur de homine, quasi per illum steterit, quo minus bene ageret, cum ipse aliter facere non potuerit».

Ad hoc argumentum Calvinus respondet, ac primum dicit, Deum non immerito de hominibus conqueri, quamvis non possint non male agere, quoniam vitio suo, et hæreditaria malitia infirmi sunt. Secundo addit, peccatores a Deo reprehendi, ut peccatorum tædio in viam redeant. Tertio, ad locum allegatum ex cap. XXX. Deuter. quo se magis

urgeri sentiebat, duobus modis respondet, primo, locum illum posse eludi, si quis affirmet, Mosem loqui de facilitate cognitionis, non observationis præceptorum. Deinde, respondet serio, Mosem eo loco intelligendum esse de promissione Evangelii, non de præceptis, et lege naturæ.

Consideremus nunc quanti ponderis sint istæ Calvinus responsiones. Prima illa de malitia hæreditaria parum eum juvat. Nam malitiam illam, nos poenam docemus esse, non culpam, nisi libera voluntate ei obediamus: Calvinus autem, qui culpam esse contendit, id probare, non assumere debuisset. Itaque sicut homini cæco a nativitate non recte quis vitio verteret, si inter ambulandum impingeret, etiamsi cæcitas illa ex peccato originali descendat, et ille vitio suo, id est, vitio, quod in ipso hæret impingat: sic etiam non recte peccatores reprehenderentur, cum præcepta divina transgrediuntur, si absque libera consensione, ex sola naturæ corruptione, quæ ex peccato primi hominis in nobis hæret, præcepta Domini violarent.

Alteram responsio, quam reddit Calvinus, eum dicit, peccatores a Deo reprehendi, ut peccatorum tædio in viam redeant, non solvit ullo modo propositum argumentum. Nam si possunt homines peccatores audita obijuratione, tædio peccatorum affici, et in viam redire, liberum arbitrium se habere demonstrant, si non possunt, quorsum illæ divinæ querimonie? quorsum (inquam) ita loquitur Deus, quasi per homines staret, quo minus bene agerent? «Ut nolentes, inquit Calvinus, ac inviti intelligant, necessarium sacrilegium esse, si malorum suorum culpam, quæ in ipsis residet, in Deum rescribant». Et probat ex cap. VII. Hierem. ubi jubet Deus narrari omnia scelera populi, et tamen prædicat eum non auditurum: «Loqueris (inquit) ad eos omnia verba hæc, et non audient te.» At probare Calvinus debuisset, veram culpam residere in iis, qui ex necessitate peccant, vel certe eos merito reprehendi, qui non possunt bene agere. Hieremias autem non dicit, non poterunt audire, sed, non audient. Itaque quoniam audire poterant, sed nolebant, ideo jussu Domini revocantur illis in memoriam scelera ipsorum, ut excusationem nullam habeant.

Tertia responsio, quæ ad locum Deuteronomii proprie pertinet, non est melior cæteris. Quod enim Calvinus dicit, locum illum

(1) Num. XIV, 25; Deut. XXX, 14; Isai. V, 4; Hier. VII, 28; ib. XXXII, 23; Matth. XXIII, 37; Act. VII, 51.